













No. 3443.
M. Tuscher fecit


BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

EPICEDIA SCRIPTA

IN IMMATVRVM OBITVM, Optimæ & indubitatæ Spei adoleſcentis, Iohannis Iacobi Hopontani, Venerandj & eruditj Viri, Domini Iacobi Iohannis, Paſtoris Eccleſiæ Hobroënſis vigilantiſsimj, & Præpoſiti prouinciæ Ottenſild digniſsimi, Filij primogenitj: qui Hafniæ obijt: Anno 1573: 29. Aprilis.



Laur. Matt.
Mariagrius

HAFNIÆ,
Impreſsit Laurentius Benedictj.
1573.

MAGNÆ PIETATIS ET ERUDITIonis Viro, Magistro Andreæ Iohannis Mariagrio, Pastori ad S. Nicolaum Hafniæ, vigilanti, amico suo maximo,

S. D.



On possum satis, Magister Andrea, dicere, quantum ex obitu Iohannis Iacobi, Consanguinei tui, amici verò mei, longè iucundissimi, doloris conceperim: Cuius mores & colloquium adeò mihi semper dulcia fuerunt, vt cum amico familiari loquens, fratris conspectu me frui putarem. Eius itaq; Epicedium, vt ex tua petitione lubens: ita ex eius morte (quam ægerrimè fero) inuitus, scriptum mitto. Quod si minus expectationi tuæ respondeat (videor enim mihi fœlicior in heroico carmine) rogo tamen pro tua pietate boni consulas: & quòd parum meis Musis relictum fuerit otij, & quòd non sæpius ad hoc genus carminis, animum applicuerim. Si quid titulo desit, vtpoté loci & temporis mentio, rogo addas, si quid supersit demas, si quid peccatum emendes. Vale fœlicissimè. Soræ 11. Calend: Iun: Anno 73.

Laurentius Matthiæ Mariagrius,
Pædagogus Sorensis.

EPI-

EPICEDIVM,

FVNERI, STVDIOSI ADOLEscentis, eruditione & moribus cultißimj, Iohannis Iacobj, qui vitam hanc temporalem & ærumnosam, placidè moriens, æterna beatitudine, commutauit, Scriptum

à

Laurentio Matthiæ Mariagrio.

VSq; adeò miseris, memorem, mortalibus, iram,
Atq; truces, acuis Mors inimica, minas:
Vt fera, pestifero, prosternas omnia, letho,
Singula, ceu veniens, atterit ignis edax:
Hos, vbi vitalis, vix natos, aura refecit,
Funere crudelj Parca cruenta necas:
Vtq; videt mater genitos, mox lumine caßos
Ægra dolet spargens rore madente genas:
Ast alios, quibus indulsit maturior ætas,
Tollis, vt obstantem torua leæna rosam:
His tua, per totum, laus, Christe, nitescere mundum,
Poßet, & immensum surgere notus honor:
Si non, terribilj cunctis infesta sagitta,
Inferret subitas, Mors violenta, manus.
Hoc, Ægyptiacj fertur Pharaonis, ad aures,
Israël questus, dignus honore senex:
Centum terq; decem, curis male saucius, annos,
Exegi, o paucos o sine sole dies.
Cernit & inuitis, hæc lux, hic Phœbus, ocellis,
Graßantis nimium sceptra superba Luis,

 Teq;

Téq; modò extinctum, quis non, dignißimè vita
Deflet Iohannes aspera, fata vocans:
Nunc ætas siquidem lætis maturuit annis,
Iámq; tibi vitæ flos ineundus erat:
Addo quod ingenium doctis illustre Camænis
Reddideris, cœtu dignus Apollineo:
Omnis in hoc carj, steterat tibi, cura Parentis,
Illa, pij Patrui, sollicitudo fuit:
Moribus vt placidis, instructus, & arte magistra,
Ornares patrium, non sine laude, solum.
Pierios mecum cœpistj scandere colles,
Labráq; Pegasei tingere fontis aqua:
Tristis ego, vnanimj, Pylades velut orbus Oreste,
Aonidum post hac carmina læta canam?
Læta, volunt curis vacuum, sibj carmina, pectus,
Mœsta, nec exercet pulchra Thalia, choros.
Soliuagus posthac, socio comitante relictus,
Exponam versus exhibeámq; iocis?
Tutius ingreditur, claßis cingente corona,
Dirigit & dubium nautica pinus, iter.
Quàm timido, vastum transmittit, remige, pontum,
Et sola, & salsis, mox vitianda vadis.
Te mihi distracto fatis, contingit vtrúnq;,
Sic videor solus, sic malè quaßa ratis:
Cúmq; mihi tantum dederint tua fata dolorem,
Matrj quanta dabunt vulnera, quanta Patri:
Nec

Nec lugere sui, prohibet quis funera, natj,
Sit nisi qui Tygrj, sæuior Armenia.
Tollj quando recens conceptus pectore morbus
Nesciat, ast aliqua parte leuandus erit:
Fœdabat largo, rorantes, flumine, vultus,
Euander Latij florida sceptra tenens.
Vt Pallanta, fera multatum morte, sub hostis
Audijt immiti succubuisse manu:
Longa dies docuit tamen hunc deponere luctum,
Et miserum nati non meminisse rogum.
Ergo magis multo, vos, digna prole Parentes,
Excellente malum hoc, pectore ferre decet:
Ille quidem sæuo violatus vulnere Martis,
Cum gemitu clausit lumina, fusus humi:
Hic animam summo commendans ritè Tonantj
Ibat ouans animis spe sua damna leuans.
Ille triumphalem capitj quærendo coronam,
Anxius, aduerso concidit ense miser:
Hic cadit ingenuæ neruos dum tenderet artj
Fortiter & studijs immoriemur, ait.
O fœlix, o, quam nullum, laus, deleat æuum,
Sic iuuenem Musis inuigilasse bonis.
Ille Stygis tenebras, aut (si pia fata fuerunt)
Infernum subijt turbidus Elysium.
Hunc quia virtutis fuit & studiosus honestj
Arua beatorum vastus Olympus habet.

EPICEDION,
IN IMMATVRVM OBITVM, INdubitatæ Spei adolescentis, Iohannis Iacobi Hopontani, Consocij longè carißimi, qui Hafniæ in domino placidè obdormiuit Anno 1573. 29. Aprilis.

Scriptum
à Barptholomæo Casparo Bigumio.

FLebile principium mea ludito carmine Musa,
Et tremula cantus ludito voce graues:
Proh dolor optatam, lethali cuspide, frugem,
Sustulit Aonij Parca nefanda chorj.
Quærit enim cultis iuuenis dum haud impiger hortis,
Musarum flores, liliáq; alba legit:
Ecce cadit primo crescentis flore iuuentæ,
Frustratus cupidæ votáq; spémq; scholæ.
Lumina clauserunt Iohannis, Fata, Iacobi,
Lumina vel seros digna videre dies.
Immaturus obit matura haud morte Iohannes:
Ætatis nactus bis duo lustra suæ.
Cimbrica fœlici genuisti hunc sidere tellus,
Eßet vt is patriæ lumen honósq; suæ.
Te genitore satus, Venerande Iacobe, per annos
Ter septem, vigilans qui sacra iußa doces.
Hoc Hopontiades communi voce fatentur,
Quos tua perdocuit lingua diserta Deum.
Primis est Christo puer hic sacratus ab annis:
Hunc coluit summa cum pietate Deum.

Atene-

A teneris didicit dulciq; à lacte parentis,
Pieridum sitiens, dogmata grata scholæ.
Palladias peragrare vias contendit: & ipsa
Sedulus Aoniæ plectra mouere liræ.
Hausit prima domi teneris elementa sub annis,
Optata patriæ, non sine laude, suæ.
Aggreditúrq; tuos pòst Hafnia celsa penates,
Ludit vbi varia doctus Apollo chelj.
Nec mora, Musarum triuialia tecta salutat:
Et petit Hafniacæ iura colenda scholæ.
Audijt indè viros, quos docta Academia doctos
Hafniaca, & celebres, ordine semper habet.
Vixit sincerus, facilis, pius, atq; modestus,
Gaudebat mentis simplicitate piæ.
Obsequium Patruo pius exhibuit venerando:
Tristia quapropter funera sæpè dolet.
Sed quid ego referam? vel quo mea lumina vertam?
Corde tuam lacrymis concino sæpè vicem.
Nam mihi cùm fidus sis morte peremptus Achates,
Incipit & luctus cor penetrare meum.
Te querula nimium repetunt sibi voce Parentes,
Et tristi fundunt talia verba sono:
Hei nobis: primogeniti nos funera gnati
Perturbant, gemitus pectora nostra premunt.
Spes vbi nostra manet? clausit quis lumina? quisue
Obtexit tumulo frigida membra breui?

O vtinam Hafniacas nunquam peragraßet in oras:
Vndè grauis iusti causa doloris adest.
Filius at summa requiescit sede, Parentes
Vos interpellans & lacrymare vetans:
Fletus siste Pater, vanas depone querelas,
Ne cruciet nimius, languida membra, dolor.
Hic quanquam iaceo viridi nunc cespite tectus,
Et quanquam corpus vermibus esca datur:
Attamen in Domino requiescunt molliter oßa:
Gaudet & in Christo mens mea læta meo.
O te fœlicem qui vita ceßeris: ista
Quam viuis vita est, hæc scio mortis erit.
Cœlestem à nobis migrasti lætus in aulam,
Nos vallis miseros sed lacrymosa tenet.
Non aduersa tibi nobis velut vlla nocebunt:
Nam iucunda salus te tenet átq; quies.
Expectata salus, Christi tibi sanguine parta,
Contingit, veris non moritura piis.
Tandem, stentorea, cum cœlica numina tangant
Voce, tubam, fient membra nouata tibi.
Lætus apud superos cantato iubila voce,
Dulcia gustando gaudia plena, Vale.
Tuq; vale Genitor: tristis suspiria cordis
Excute, pro gnato care Iacobe tuo:
Sinceri & mæstum capias peto munus amici,
Quod tibi mæsta satis nostra Thalia dedit.

FINIS.